



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

48. De ove perdita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60561)

MEDITATIO XLVIII.

De ove perdita. Luc. 25.

PUNCTUM PRIMUM.

Homo, qui habet oves, est Christus, qui Pastor propter illas descendit de cælo, & mirabiliter eas gubernat, Novit singulas nominatim suo caractere signat, ante eas vadit, præcedens exemplo, curat à scabie peccati, defendit à lupis infernalibus, pascua præbet pingua, doctrinæ, & Sacramentorum: imò seipsum illis in cibum dat. O sic me governa, & pasce!

Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Centum oves sunt generatim Fideles, sed peculiariter electi, quos in numero habet Deus, & scit, *qui sunt ejus, hi vocem ejus audiunt*, obediētes ejus præceptis, noverunt ipsum per fidem & contemplationem, sequuntur imitatione, gaudent illius pascuis, reddunt ei suam lanam, externa bona, lætiam internorum affectuum & delicias à se abdicant propter ipsum, fœtus item bonorum operum, & carnem denique propriam, si opus sit mori illius causa, ut vicem reddant. *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Ovis periens est peccator, ex cætu justorum, & obedientia pastoris proprio suo arbitrio discedens, nempe non intelligit, nec æstimat bona, quæ sub illo habet: grave illi est audire vocem ejus, dura reputans mandata illius; difficile sequi euntem per vias asperas crucis, &

Bb 5

mor-

ps. 22.

11.

Oves fideles.

Joan. 10.

13.

Cant.

2. 1.

Ovis
perdita
peccator

mortificationis, fastidit pascua spiritualia, præfert carnalia. Retinet sibi lanam, lac, & fœtus, omnia in suum referens commodum. ô quot sic errant usque ad præcipitium inferni ! Omnes, quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit.

Isai. 53.
6.

Charitas
Christi
quæren-
tis.

Pastor bonus errantem quærit ovem, totum genus humanum. Ideo in carne venit, triennium prædicavit, & tandem mortem subiit. Et cum propter omnes ea perfecit, studio tamen peculiari per se ipsum quæsit eas, quæ tunc aberrabant, & nunc etiam quærit omnes per suos ministros, & oblata remedia, ac internas inspirationes. Et cum nihil sua intersit, si pereat, quia nec lana earum vestiri, nec nutrirî lacte, nec fœtu ditescere opus habet, referre tamen sua ait. *Et illas oportet me adducere.*

Ioan, 10,
16.

PUNCTUM II.

Quid agit, cum invenerit ? Matthæus ait : Si contigerit, ut inveniat eam : quo significatur, ipsas oves subducere sese, & occultare, ne inveniantur. O Domine, *Erravi, sicut ovis, quære servum tuum*, ne desistas, quantum vis ego fugiam & me abscondam, sicut Adam, & tergiversari velim, sicut Cain. Inventam ovem non percutit baculo, non raptat, non tundit calce, sed lætus in humeros suos attollit. Docet, benignè excipiendos peccatores, in humeros imponit, quia *peccata nostra ipse tulit in corpore suo*, & quia sua gratia facit eis suave iter salutis.

Christus
perdi-
tam re-
ducit.

I. Pet. 2.
24.

lutis. Quidni ego vicissim : Tollam jugum ejus, quod suave est, & onus leve ? Quin instituit publicam gratulationem, convocans amicos & vicinos, Angelos & justos, dicens illis : *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quae perierat.* Matt. 11. 29.

PUNCTUM III.

Epiphonema. Dico vobis, quod ita gaudium Gaudiū
conver-
sionis.
erit in coelo super uno peccatore poenitentem agente, quam supra nonaginta novem justis, qui non indigent poenitentia. Quemadmodum si pater aliquis habeat plures filios sibi charissimos, ac ex eis unus ad mortem infirmitur, & praeter spem convalescat, extraordinarium gaudium concipit ipse, & familia tota, quale non ex reliquis sanis : ita in hoc discam gaudere & gratulari de salute peccatorum, & non ut Phariseus murmurare. Ac si aliquando aberrem, vel ideo redire studeam, ut Deum & Angelos laetificem : contra, averset peccatum, ne contristem.

MEDITATIO XLIX.

De Filio prodigo. Luc. 5.

PUNCTUM PRIMUM.

Duo genera filiorum, bonus est major natu, Boni & quia virtus antiquior vitio est, & confert mali filii senilem maturitatem, & prudentiam : malus autem

tem